



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul.
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**

Probus, Johannes

Monachij, 1731

VD18 12260568

Caput XIX. De procuratione choralium librorum, de agrorum
augmentatione, & ædificiorum erectione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-64645)

C A P U T X I X.

*De procuratione choralium librorum, de agrorum aug-
mentatione, & adificiorum erectione.*

CHorales libros pro Divino Officio exhibendos per magnam suam diligentiam ad omnimodam sufficientiam scribi per suos Fratres fecit; Agros quam plurimos circa Monasterium jam per lignorum succrescentiam quasi in sylvagia redactos, denuo radicibus extirpari fecit, & ad uberes fructus ferendos aptare non cessavit. Lapideum equorum stabulum erigere festinavit, similiter & magnum horreum in pede montis subtus pomarium pro segetibus recondendis ac triturandis erexit. In praedio Monasterij, quod vulgato idiomate Gellinekhusen nominatur, molendinum cum suis requisitis fabricari fecit: ibidem etiam magnam piscinam molendino praedicto proximam & vetustate desolatam omnino restauravit. Hic etiam, dum præcipuum B. MEINULPHI patrimonium videlicet Oldenbüdeken vepribus ac supercrescentibus lignis obtutum, & quasi in solitudinem redactum animadverteret, æquo animo hoc ferre non valens ex industriosa sua providentia de remedio providit opportuno. Nam ne præfatum Patrimonium penitus à suo Monasterio fieret alienum, Ecclesiam Kerckberg jamjam propè desolatam in istum reædificavit finem, videlicet, ut quidam familiares sui inibi inhabitantes præfati Patrimonij bona denuo extirpando & purgando ad utilitatem Monasterij fructificare non cessarent; Insuper ut invalidi Conventus sui Fratres, qui Monasticum onus ultrà ferre non possent, in præfato loco habitantes recreationem susciperent aliquam, idèò pro eisdem ibi cellas ab utraque parte præfata Ecclesia exstruendas disposuit.



CA-